



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...

In Dominicis totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1687

Eminentissimo Principi & Domino D. Michaeli In Radzieiovice
Radzieiowski Comiti In Krylow S. R. E. Cardinali Celsissimo S. R. I. Principi
Illvstrissimo Ac Reverendissimo Archiepiscopo Gnesnensi Et ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56286](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56286)



Eminentissimo Principi & Domino

**D. MICHAELI
IN RADZIEIOVVIC
RADZIEIOWSKI**

COMITI IN KRYLOW

S. R. E. CARDINALI

Celsissimo S. R. I. PRINCIPI

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

ARCHIEPISCOPO GNESNENSI

ET

PRIMATI Regni electo;

EPISCOPO

VARMIENSI ET SAMBIENSI &c. &c.

Domino D. Clementissimo.



Iraberis meritò Eminentissime Princeps me amplissimæ Cel-
situdini Tuæ tam angustam, abjectamque supplantare Exe-
dram. Neque enim tuam adæquare pollet amplitudinem
tam stricta; nèque ad tiaratum Tui nominis fastigium assur-
gere tam abjecta; neque Tuos quos per orbem Christia-
num longè lateque diffundis, complecti fulgores tam impolita. Excelsior
Maje-

DEDICATIO.

*Sigon. de
reb. Ital.
lib. 5.*

Cur. l. 7.

Majestas tua est, quàm ut tam humili resupinetur in Exedra; augustior, quàm ut tam angustæ præfigatur paginæ. tuum verius, quàm Epiphaniï ticinensis Episcopi elogium evulgasse censendus est theodoricus Rex Gotorum, cum diceret: *Ecce hominem, cui totus Oriens similem non habet, quem vidisse præmium est, cum quo habitare securitas.* Si enim vel quicumque alii, vel hic ipse tantopere decantatus Præful in coram redivivus assurgeret, non nisi velut Umbra in comparatione tui assisteret. tuum illud Barbarici quantumvis Oratoris fastuosè quidem Domitori orbis attributum, appositissimè autem tibi imputatum: *Si Dii habitum corporis tui animo parem esse voluissent, Orbis te non caperet. Alterâ manu Orientem, alterâ Occidentem contingeres.* Neque enim animum tuum explere poterant, aut per vetusti sanguinis, illustribusque elaborata meritis nobilitas, aut in tot sacris tiaris gemmæ, tot purpurata in Senatoriis Curulibus conchyliæ, tot in muneribus ac Legationibus publicis Caducei, ac sigilla; aut ipsi in serenissimo & Inviçtissimo JOANNE III. Rege nostro clementissimo consanguinei fasces, in Te solum veluti in alveum transfusa gloriæ; nisi tu propriis auctam virtutibus, suos in fontes sceneratam refunderes; & qui habes ut à Parentibus, Avis, Proavis, Atavis dicereris Magnus, illud illi à te consequerentur, ut Majores existimentur. Non suffecerat tibi, ut quæcunque lineamenta illorum in te conspicerentur, nisi illa insuper, quæ in exteris aut alienis ceris admiramur decora, in Te laudabili ambitione derivasses. Effecisti illud amicò sapientiæ tuæ virtutumque conjugio, ut qui Te aspiciunt, D. Ambrosium in ore tuo, Augustinum in ingenio, Gregorium in decretis, Hieronymum in dignitate ac stilo obstupescant. Vastissimus enim animus tuus perinde ac Oceanus immensus quosvis eruditionis ac sapientiæ fontes illimi decurrentes gurgite avidissimè excipit, & complectitur; Ideasque virtutum

qual.

D E D I C A T I O.

quãsviſ, haud ſecus ac ſpeculum terſiſſimum exhibet, & admittit.

Unde vix hanc ſedem Varmiẽſem occupaveras, cùm illico vox populi, quæ vox Dei eſt, detonuit: Iam Te Ermelandia non capit, *Curt. l. r.* alia tibi quære regna, aliæ te manent Tiaræ. Inſignes quippe virtutes tuæ, Dignitatis huius tyrocinia diu ſuſtinere poſſe non videbantur, quæ firmiora ſaſtigia cœteris miranda depoſcebant. Iam tum hoſpitari ſolem in Ariete tuo gentilitio liquebat, quando ſupra inferius hoc Candelabrum (ſi tamen ita dici fas eſt,) poſitus, in Oriente tuo univerſos, ſi non ad adorandum more gentium, certè ad devenerandum pellexiſti, nec in unam regionem, ſed quod ſoli conſanguineum per orbem univerſum radios fulgoris tui evibrare cœpiſti. Profectò Genus, Genius, atque Ingenium tuum vel in hac ampliffima Cathedra, tanquam ſub modio credebantur coarctata.

Et veridicas fuiſſe voces probavit eventus, quando ipſa ſecum conſlixere viſa officia, de quæ Te uno decertare, quodnam illorum tuos exornare mereretur humeros. Cùm verò ipſe ad tanta munia, dignitatẽſque venire detrectares; jam una, una altera neutiquam precibus ſolicitata, aut Phryxæo vellere illecta, aut favoribus ſubvectata; ſed planè meritoriis calculis provocata accurrit, ſuũque veluti refugum coronã innexuit. Erravi, tu illam Eminentiſſime Princeps gentilitii arietis machinã ad deditiõnem coegiſti, tributariãvè mancipaſti. Efecidiſti id, quod olim Adrianus Imperator edixerat: *Alta officia non liberaliter à Principe donanda ſed meritorum armis à ſubditis violenter comparanda.* Et idcirco glorioſius duxiſti heroicã Tuã animi magnanimitate honorem Tibi ſubdere, quàm te eidem obnoxium profiteri. Quam deditiõnem ultrò ipſe ambivit honos, ratus non modicam beatitatis ſuæ partem non Leonibus, aut Leopardis; ſed Agno tuo, perinde ac Apocalypſico cum empyreis Senatoribus, ſupplicem accubiſſe. * 2 Et

D E D I C A T I O.

Et primum quidem tributario quasi censu Te Pileo remuneratus est, ut eo ipso ostenderet emancipatum tuum à servilibus illecebris peccus. Quem nunquam Tincturâ tam eminenti imbuisset, nisi Agnum tuum candidi velleris fuisse constitisset. Revera bonum te Pastorem exhibuisti, qui illum tam selectis pavisti floribus, ut vellus suum redderet aptum, cui adeo pretiosa intexeretur purpura. Mox verò quadam æquitatis, ac gratitudinis lege Primatem Regni Te edixit, utpote qui ubique Fidei, Justitiæ, Veritati, ac bono publico primas dares. Et Patriarcham Regni esse iussit; non tantum quia Patri Patriæ, aut Patri Ecclesiæ placuisti, sed multò auctius, quia Patrem te Patriæ esse, & fore perspexit. Plura alia meritis tuis contulisset, si quidpiam invenisset, quod amplitudini virtutis tuæ respondere potuisset.

Quâ fronte itaque tam angustam, abjectamque Celsitudini tantæ substerno Exedram? Nempe eadem, quâ illam conspicio, quod non reputet se in tam Eminentis Curuli tutam considerare, nisi ad subdita insuper scabella demittat. Cum Numine nimirum, etsi pleraque alia, tum verò id vel maxime commune habet, quod ad illud proximè accedat laudatissimâ Humanitate; quâ humilia respicit, ut extollat. Cum verbo Incorporato istud aliud, quod indissolubili nexu Dignitati societ submissionem, Eminentis Clementiam, Potestati Benignitatem, Auctoritati comitatem, sapientiæ Pietatem. Cum Agno Gentilitio quod mitissima sit, & noxam si quæ est (ad æmulationem illius qui tollit peccatum mundi) clementissimè abstergat; atque insulati capitis annutu indulgentiam appromittat.

Patere igitur in tam publicis propensi omnium in Te amoris testimoniis, ac singulorum Ordinum gratulationibus hanc minimam symbolam tanquam minutum unum vastissimis præconiorum

D E D I C A T I O.

rum Tuorum voluminibus adjicere. Patere nomine Tuo illam illustrari, quatenus in sapientum corona gratiam inveniatur; tuo honori insigniri ut æstimetur; tua humanitate vestiri, ut placeat; tua virtute animari ut vivat; tuo patrocínio foveri ut perennet. Staret enim densissimis in tenebris hæc exedra, dum lucem affectat, nisi à Majestatis tuæ umbra lucem emendicaret. Verum securè jam in publico assurgit dum Eminentissimis plantis ita se submittit, ut dum augusto passu illam presseris, Pontificii favoris vestigia eidem sis impressurus. Neq; ruinam timet, etsi Purpurato jam Patri venerabunda accidat. Altio rem enim in lucem surrigitur, cum ad magni Principis cultum prona succumbit; interque soles publicos eminent, ubi ad Cardinalitiæ tiaræ tuæ umbram subsistit. An enim feliciorum unquam diem auspiciari potuit, quàm in Majestatis tuæ purpura, quæ beatitatis omnis aurora est, totque aureas Patriæ horas dispensat; ut ex aureo Agniti vellere auream veterum ætatem reviviscere credamus. Nec alium præter Te Ecclesiæ Atlantem, Exedra Ecclesiastica ambire debuit; quo pondus quod levis illi calamus detraxerat, Gratia purpurati Principis adjiceret. Sic verò humeris tuis erecta, etiam dum sola pedum tuorum vestigia sequitur, etsi vocis officium, mutæ paginæ Exedra concedidit omni tamen Tullio facundius illa perorabit, cui vocalis emeritæ virtutis Tuæ fama vocem suppeditat. Hoc Tuo fulta præsidio Exedra mea, num Vicarium quempiam Atlantis, Herculem ambiret; quum Tuis pressa vestigiis securior assurgit, quam ullius alterius Gratia humeris erigi posset? An non citra ruinæ periculum consistet, si Præfuleo Scipione, quo Illustrissimæ Tuæ stirpis gloriam sustines, etiam dicatam Tuo honori Exedram fulcies? Plantis equidem Tuis promptius illam submittissem, ut Principi Maximo ad majorem Eminentia apicem gradus per illam sterneretur; nisi propriis succollatus meritis eò dignitatis & fortunæ ascendisses; ubi & Vicarium

DEDICATIO.

Dei Caput affinitate, & ut dixi, Regnatricem Poloniae Majestatem sanguinis nexu proximè attingeres. Iam verò Infans pro domo Dei Tullius, qui in hac exedra perorat infantiae taciturnitatem exuisse videtur, cui loquendi copiam spes Præsulei favoris vel ideo concessit, ne vocem Clamantis in deserto exedra præsentaret, cui disertum quod palam ubique resonat nominis Tui præconium inscribitur. Tantam vero à Præsulis, ac Principis sui splendoribus claritatem sortita omnem alium despuit exedra mea ornatum, nec Apellis exambit penicillum, cui Cardinalitio Ostro ruborem purpurata Clementia induxit. Quo enim decoris ornatu pulchrius tegeretur, quæ Majestatis Tuæ purpurâ protegitur? Annue igitur Præsul ac Princeps eminentissime, ut exedra ista, quæ Deo nunc primum erecta assurgit, Tuæ imprimis Vicariæ Dei Majestati dicata succumbat. Tum verò disertissime in exedra me perorasse censebo, si tuo animatus favore me proclamavero

Addictissimum, ac Eminentissimo Tuo
Honoris devotissimum in Christo Ser-
vum.

IOANNEM SCHRÖTTER
Soc. JESU.

INDEX